



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

II. An meritum rectè diuidatur in meritum de condigno, & meritum de congruo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38954**

## SECTIO II.

An meritum rectè diuidatur in meritum de condigno, & meritum de congruo.

**P**er meritum de condigno intelligunt Theologi meritum illud, quod mercede ac premio ex se dignum est, & cui proinde ex quadam iustitia debetur merces ac premium: per meritum autem de congruo illud, quod quamuis mercede non sit ex se dignum, illi tamen ex decencia quadam & congruitate debetur. Hac obseruatione supposita

Dicendum 1. iustos posse de condigno aliquid à Deo mereri.

Probatum 1. ex ijs scripturæ locis, in quibus dicitur iustos per bona opera fieri dignos premio & remuneratione; Sap. 3. *Deus reuocauit eos, & inuenit illos dignos se*: Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*. Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*. Item ex ijs, in quibus dicitur Deum bonis iustorum operibus reddere mercedem ex quadam iustitia: S. Mat. 20. *Quod iustum fuerit, dabo vobis*. Hebr. 6. *Non enim iniustus Deus, ut oblitiscatur operis vestri*; 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, &c.* In reliquo reposita est mihi corona iustitie, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & q̄s, qui diligunt aduentum eius: quæ Apostoli verba Conc. Trid. supra de mercede bonis iustorum operibus debita & à Deo reddenda explicat.

Probatum 2. ex SS. Patribus, qui passim Deum erga iustos debitorem esse dicunt, vt S. Cypr. lib. de elemosyna; *Traclata, inquit, ædiuina res, salutaris operatio, qua promeretur Christum iudicem, & Deum computat debitorem*: S. Ambr. lib. 7. in S. Luc. *Reddes ergo, Domine, quod debes; beati, quibus es debitor*: S. Hier. ep. ad Heluidiam c. 1. *Quantà beatitudo pro paruis magna recipere, & Deum habere debitorem*: & S. Aug. serm. 16. de verbis Apost. *Possumus ita De-*

em alloquitur tanquam debitorem, eique dicere: Redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti.

Obijcies, inter Deum & creaturam nullam esse posse iustitiam, neque Deum posse unquam debitorem vili creaturæ fieri. Resp. hoc verissimum esse, si creatura præcisè secundum se consideretur: non item, si quatenus homo iustus, est membrum viuum Christi Domini, & ex eius merito ac virtute operatur; & quamuis etiam eâ ratione inter Deum & hominem non possit esse iustitia strictè sumpta, est tamen inter vtrumque vera aliqua ratio iustitiæ latè sumptæ, qualis est inter Patrem & Filium, Dominum & seruum.

Dicendum 2. dari etiam meritum de congruo.

Probatum ex ijs scripturæ locis, in quibus, aliquid à Deo peccatoribus dari dicitur intuitu aliquorum bonorum operum, vt Exod. 1. refertur de obstetricibus Aegyptiorum, & Act. 10. de Cornelio Centurione. Certum est autem peccatores nihil à Deo posse de condigno mereri, vt sect. seq. dicitur, vnde sequitur meritum illorum esse tantum de congruo.

### SECTIO III.

*Quanam condiciones requirantur ad meritum ex parte illius, qui meretur.*

**Q**uestio intelligenda est de merito condigno, quod propriè & simpliciter meritum dicitur, & pro illius resolutione

Dicendum est, duas potissimum condiciones requiri ex parte illius, qui meretur; prima est, vt sit in statu gratiæ sanctificantis: secunda, vt sit in statu viæ. Ita communiter omnes.

Primi conditionis necessitas probatur 1. ex scripturâ: S. Ioann. 15. *Sicut palmæ non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis:* & 1. Cor. 13. *Si distribuere in cibos pauperum omnes facultates*

mens